

# IN FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM

## S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

1. --- In illo tempore: *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge etc. (Mt 2,13)*. In hoc Evangelio duo notantur: fuga Domini in Aegyptum, et occisio puerorum.

### I • De Domini fuga in Aegyptum

2. --- Domini fuga in Aegyptum, ut ibi: *Angelus Domini*. In hac prima clausula moraliter ostenditur, qualiter quilibet bonae voluntatis tenerum opus ab insidiis diaboli, a favore mundi debet custodire. Quid angelus, quid Ioseph et eius somnus, quid mater, quid puer, quid Aegyptus, quid Herodes significant, videamus.

Angelus Domini, divinae gratiae inspiratio, quae annuntiat homini quid agere, quid non agere debeat. Unde Exodo XIV: *Angelus Domini praecedebat castra Israel*; et in eodem XXXII: *Angelus meus praecedet te (Ex 32, 34)*, scilicet propter duo: ut tibi viam ostendat, et ab hoste defendat. Unde Tobia V: *Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et angelus Domini comitetur vobiscum (Tob 5, 21)*.

Ioseph, qui interpretatur accrescens, est quilibet christianus, qui, in Ecclesia Christi fide plantatus, debet crescere de bono in melius et vitae aeternae portare fructus. Somnus eius, pax mentis vel dulcedo contemplationis. Somnus est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Cum enim carnalia quiescunt, et spiritualia se extendunt, tunc est in somnis Ioseph.

Unde Iob III: *Nunc dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solitudines; aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento (Iob 13-15)*. Nota ista tria: reges, consules, principes.

3. --- Reges sunt *qui esuriunt et sitiunt iustitiam (Mt 5,6)*. De qua AUGUSTINUS: Ascende tribunal mentis tuae, sit ratio iudex, conscientia accusans, timor carnifex, dolor crucians, locum testium obtineant opera. Consules terrae, *qui lugent (Mt 5, 5)* suam miseriam et culpam. O sanum consilium plangere seipsum! Hoc consilium Ieremias consulebat VII: *Tonde capillum tuum et proice, et sume in directum planctum (Ier 7, 29)*. Capillus, temporalia, quae te impediunt, ne tuam miseriam videas et peccata tua defleas. *Tonde* ergo ea a corpore, *et proice*, idest procul eice, a mente, et sic poteris *in directum planctum sumere*. Planctum in directum sumit qui sibi non parcat. Privatus amor novit ungere et ex obliquo plangere. Qui talia volunt agere oportet eos non solum mentis, sed etiam corporis solitudines aedificare. HIERONYMUS: Castrum mihi, inquit, carcer est, solitudo paradus. Item, principes sunt *pauperes spiritu (Mt 5, 3)*, *qui possident aurum*, idest auream paupertatem, *et replent domos*, idest conscientias, *suas argento*, quod sonorum est, idest confessione divinae laudis et proprii criminis.

Cum istis omnibus Ioseph dormiens, silet a strepitu saecularium, et somno suo requiescit a tumultu cogitationum, et ideo apparet ei angelus Domini, dicens: *Surge*, idest sursum age, ad hoc ut sis sursum accrescens, non subtus sicut rapa, quae crescit in terra et subtus terram, sed sicut palma, quae in altum surgit. *Surge* ergo, idest sursum age, ut hirundines, quae cibos non sumunt residentes, sed in aere capiunt escas et hauriunt. *Quae sursum sunt*, inquit Apostolus, *quaerite, non quae super terram (Col 3, 1.2)*. *Surge* ergo, *et accipe puerum et*

*matrem eius (Mt 2, 13).*

4. --- Mater, bona voluntas, quae divinitus inspirata concipit bonum opus in affectum et parturit in effectum. Verbigratia. Habes bonam voluntatem, sed si nondum proposuisti bonum in corde, sterilis est voluntas, et maledicta sterilis in Israel (Cf. Ex 23,26). Sed, cum deliberas bonum tunc concipis; cum opere complex tunc parturis. Unde Isaias VIII: *Accessi, inquit, ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera, spolia detrahe, festina praedari (Is 8, 3).* Prophetissa est anima vel ipsius hominis voluntas, quae sibi debet prophetare gloriam regni, poenam inferni, malitiam diaboli, fallaciam mundi, miseriam sui. Ad hanc accedis per devotionem, et concipit per deliberationem, et parit per executionem. Et nota quod filius tuus, idest opus tuum, trinomius est; vocatur enim *Accelera*, quia mora trahit periculum, et nocuit differre paratis: *Quod facis, fac citius (Io 13, 27).* Nota quod, omne opus bonum tribus modis debet fieri, scilicet expedite, caritative, finaliter. *Accelera* ergo, ut expedite facias; *spolia detrahe* tibi ipsi, ut proximo caritative provideas; *festina praedari* regnum caelorum, quod totius operis tui debet esse causa finalis. *Accipe ergo puerum et matrem eius*, ne Esau matrem cum filio percutiat, ne Pharao puerum in flumine submergat, ne Herodes ense iugulet.

5. --- Unde sequitur: *Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum (Mt l.c.).* Herodes interpretatur pellibus glorians. Hic est diabolus vel mundus. *Diabolus transfigurat se in angelum lucis (2 Cor 11, 14);* gloriatur enim de candore pellis alienae, cum ipsius pellis sit obscurissima. Mundus etiam, similis sepulcris dealbatis, quae sunt plena omni spurcitia (Cf. Mt 23, 27), cuius gloria est de foris in nitore cutis; omnia enim facit ut videatur ab hominibus; et in Ioanne V:

***Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis? (Io 5, 44). Isti duo quasi unus conveniunt ad perdendum puerum, idest operis nostri puritatem; ille fraude, iste favore; ille suggerendo, iste adulando. Isti sunt pilosi, de quibus Isaias XXXIV: Pilosus clamabit ibi alter ad alterum (Is 34, 14), ut quaerant puerum ad perdendum eum.***

Unde in Psalmo quinque ab istis duobus orientia ponuntur, quae solent perdere puerum; sed salutare praemittitur remedium. ***Scuto, inquit, circumdabit te veritas eius (Ps 90,5). Veritas Patris, Filius, cuius scutum, crux, qua te circumdat, ut contra diabolum, mundum, carnem te muniat. In cruce, humilitas contra diaboli superbiam; ibi Christi paupertas contra mundi avaritiam; ibi clavorum crucifixio contra carnis luxuriam. Et ideo non timebis a timore nocturno, idest diaboli suggestionem, a sagitta vanae gloriae, quae volat in die, de qua Ieremias: Diem hominis non concupivi, tu scis (Ier 17, 16); et Lucas: Et nunc in hac die tua, quae ad pacem tibi! (Lc 19,42), a negotio perambulante in tenebris, idest fallacia hypocrisis, ab incursu adversitatis et daemonio meridiano (Ps 90, 5-6) prosperitatis, quae fervet velut sol in meridie.***

6. --- Ne ergo puer pereat, ***accipe ipsum et matrem eius et fuge in Aegyptum, quae interpretatur tenebrae vel angustia, in qua status poenitentiae designatur. Nota quod gloria pellis in duobus consistit: in candore et extensione; e contrario gloria poenitentiae, in obscuritate et contractione. Obscuritas in veste, quia, ut dicitur in Apocalypsi VI, sol factus est niger tamquam saccus cilicinus (Apoc 6, 12); contractio humilitatis vel angustia doloris in mente, de qua Isaias XXI: Angustia possedit me sicut angustia parturientis (Is 21, 3), idest poenitentis, qui parturit spiritum salutis. Vis ergo salvare puerum? Fuge in hanc Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi (Mt l.c.). Nota quod puer Iesus, ut dicitur in GLOSSA, septem annis***

in Aegypto latuit, et tu toto septenario vitae tuae habita in Aegypto poenitentiae, quo finito audies: *Revertere in terram Israel (Mt 2, 20)*, idest Ierusalem caelestem, in qua videbis Deum facie ad faciem (Cf. 1 Cor 13, 12).

## II - De occisione puerorum

7. --- Occisio puerorum, ut ibi: *Tunc Herodes videns* etc. (Mt 2, 16). GLOSSA: Verisimile est post annum et quattuor dies a Nativitate Christi Herodem in pueros desaevisse, quod forsitan ideo distulit, quia Romam profectus est, vel ibi accusatus, vel ut Romanos consuleret super his quae de Christo dicebantur; vel tamdiu ab inquisitione pueri se continuit, ut sollicitius eum deprehenderet, neque elabi aliquomodo posset.

*A bimatu et infra (Mt l.c.)*. Bimatus, spatium duorum annorum, idest a filio unius noctis usque ad filium duorum annorum, quos omnes occidit. Quid Magi et Herodis illusio, quid Bethlehem et parvulorum occisio, quid bimatus et Rama et Rachel significant, videamus.

Magi, Christum adorantes et munera offerentes, sunt poenitentes, qui, illuminati stella gratiae, adorant in spiritu et veritate (Cf. Io 4, 23), et offerunt triplex munus poenitentiae. Ab istis diabolus illuditur, cum non ad ipsum amplius, sed per aliam viam, scilicet humilitatem, in patriam aeternam proponunt redire. Iob XL: *Behemoth habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius (Iob 40,18)*; sed, ut in eodem subiungitur, *ecce spes eius frustrabitur eum (Iob 40,28)*. Iordanis interpretatur humilis descensus, et significat poenitentes, qui a solio mundi descendunt in contemptum sui. Quos adhuc diabolus confidit se absorbere et ad se redire; sed frustra de reditu eorum sperat, quos admonitio angeli, idest gratia Spiritus Sancti, ne ad ipsum redeant, confortat.

Vel, Herodes est mundus, quem tunc illudunt, cum ei sua dimittunt. Cani enim insequenti illudere solemus, cum ei capam dimittimus. Sic Ioseph illusit meretrici, quae eum apprehendit, dicens: *Dormi mecum. Qui, relicto in manu eius pallio, fugit et egressus est foras (Gen 39, 12)*. Quae, contemptam se videns, ait: *En introduxit virum hebraeum, ut illuderet nobis (Gen 39,14)*. Meretrix, mundus; qui si te voluerit tenere in peccato, relinque ei pallium, idest temporalia, et liber aufuge.

8. --- Sequitur: *Iratus est valde - Diabolus illusus surgit in scandala -, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius (Mt 2, 16)*. Lupus libenter devorat *pueros*, sic diabolus libenter maculat continentiae puritatem. Nulli fere bono operi ita invidet sicut castitati, hac scilicet ratione: in Baptismo eius virtus confracta, peccata dimissa, gratia data, ianua vitae aperta fuit. Totum illud nititur cassare, cum illam baptismalis innocentiae stolam in utroque sexu per carnis luxuriam studet maculare. Sed, quod magis dolendum et plangendum, *in Bethlehem*, quae interpretatur domus panis, *occidit pueros*. Bethlehem, religio; in qua, animae refectio; cuius pueri occiduntur, cum religiosi per carnis incontinentiam corrumpuntur. Et non solum in religione, sed *in omnibus finibus eius*, idest in illis qui eorum utcumque videntur imitari vestigia et sub eorum vivere doctrina, castitatis deperit munditia. Et hoc *a bimatu et infra*, in quo numero notatur corruptio geminae puritatis, animae scilicet et corporis.

Vel aliter: Herodes, ira; Bethlehem, anima: pueri, simplices affectus rationis; fines, sensus corporis; bimatus, geminae caritatis effectus. Impedit ira animum, ne possit discernere verum, conturbatur status mentis, deperit affectus rationis. Unde Iob V: *Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia (Iob 5,2)*. Et hoc non solum intus, sed etiam foris: oculus

obtenebratur, lingua minatur, manus ad percutiendum paratur, et sic caritas amittitur. Unde: *Ira viri iustitiam Dei, nec etiam proximi, |non| operatur (Iac 1, 20).*

Et ideo pro his malis omnibus vox ploratus et ululatus - idest contritio cordis, confessio oris -, debet audiri in Rama, idest in excelso, coram Deo: *Rachel plorans filios suos* etc. (Mt l.c.) Plorans, Ecclesia, et non vult consolari hic, quia filii sui non sunt de hoc mundo.

Rachel, quae interpretatur ovis vel videns Deum, est anima poenitentis, quae, velut ovis in simplicitate, videt Deum in contemplatione. Haec plorat filios, idest opera sua, quae quia non sunt, scilicet ita viva, plena et perfecta sicut prius antequam peccaret mortaliter, ideo non vult consolari. Unde dicit Isaias XXII: *Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi tnei (Is 22, 4).* Renui, inquit, consolari animam meam, quia consolari spero, *cum apparuerit gloria tua (Ps 16,15).* Quam nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

### III - Sermo allegoricus

9. --- *Filii tui, sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae (Ps 127, 3).*

Simile quid Luca XI: *Pueri mei mecum sunt in cubili (Lc 11,7).* De quibus Deuteronomio penultimo: *Benedictus in filiis Aser (Deut 33, 24),* qui interpretatur deliciae, idest Christus, qui est deliciae omnium beatorum. Hic benedicatur et laudatur in filiis Innocentibus, qui pro eo et eius loco hodie ab Herode interfecti sunt. Infans quaeritur, infantes occiduntur, in quibus forma martyrii nascitur, in quibus infantia Ecclesiae Deo dicatur. Unde Ecclesia dicit, Isaia XLIX: *Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva; et istos*

***quis enutrivit? Ego destituta et desolata, et isti ubi hic erant? (Is 49, 21). Filii ergo tui sicut novellae olivarum.***

**Nota quod in novella, recentis infantiae teneritudo; in oliva, de qua exprimitur oleum, sanguinis designatur effusio. O Herodis crudelitas, permitte prius olivam maturescere, ut valeas plenius oleum eliquare; prius effundis lac quam sanguinem, quia novella est plantatio quam eradicas, tenera generatio quam iugulas. O dolor! O pietas! Arridebat parvulus occisoris gladio, et iocabatur infantulus. Agni novelli, velut pedibus suspensi, ducuntur ad macellum, pro Christo occidendi. Novellae olivarum portantur ad torcular, ut exprimatur oleum. Ecce passio parvulorum.**

**10. --- Et quod eorum meritum? Ecce: *In circuitu sunt mensae tuae (Ps 127,3)*, ubi cantant canticum novum (Cf. Apoc 14,3). Unde dicitur in Apocalypsi XIV: *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quattuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus, primitiae Deo et Agno. Et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Sine macula sunt ante thronum Dei (Apoc 14, 3-5)*. Nota quod, in hac auctoritate quinque sanctorum Innocentium ponuntur magnalia. Primum, gratia virginitatis, ut ibi: *Virgines enim sunt*. Secundum, gloria aeternitatis, ut ibi: *Sequuntur Agnum*. Tertium, novella oblatio sanguinis, ut ibi: *Primitiae Deo Patri, et Agno*, idest Filio. Quartum, innocentia infantiae, ut ibi: *In ore ipsorum non est inventum mendacium*. Quintum, contemplatio divinae maiestatis, ut ibi: *Sunt ante thronum Dei*.**

**Nota quod tria posuimus: thronum, mensam et cubile. Et haec tria unum significant, idest vitam aeternam. Ante thronum sunt laudantes et in faciem Dei**



speculantes, unde Isaias LIII: *Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt (Is 52,8)*. Sedent ad mensam edentes et bibentes, unde Luca XXII: *Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno (Lc 22, 29-30)* caelorum. Haec mensa dicitur habere circuitum, quia satietas aeterna caret principio et fine. Item, quiescentes dormiunt in cubili, unde Isaia XXVI: *Vade, popule meus, intra in cubacula tua, claude ostia tua super te (Is 26, 20)*; et in eodem, ultimo: *Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato (Is 66,23)*, idest perfectio gloriae ex perfectione vitae, et ex requie pectoris requies aeternitatis. Quam nobis, precibus Innocentium, praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

#### IV - Sermo moralis

11. --- *Filii tui, o pie Iesu, sunt isti christiani, quos tuae Passionis angustia peperisti. Unde Isaias ultimo: Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? dicit Dominus Deus (Is 66,9)*. Quis nos parturivit in dolore Passionis? Unde: *Mulier, idest Patris Sapientia, cum parit, tristitiam habet (Io 16,21)*. *Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem (Mt 26, 38)*. Ipse facit gratia sua alios parere spiritum salutis.

Nota quod, *filius* dicitur a *phileo* graece, quod latine dicitur *amor*. Dicit Osee: *Diligam eos spontanee (Os 14, 5)*. Dilectio dicta, quasi duos ligans. Nostra dilectio ita eum nobis ligavit, quod ad miseriam nostram ipsum traxit, quasi sine nobis in caelo vivere non potuisset. Fuit enim sicut aquila volans ad escam, de qua Iob XXXIX: *Ubi cumque cadaver aderit, statim adest (Iob 39, 30)*. Cadaver dicitur a *cado, cadis*, vel a *careo, cares*, quia cadit a vita vel caret vita. Cadaver, humana natura, quae,

cum cecidit a gratia, caruit vita. O amor inestimabilis! O compassio incomprehensibilis! Desuper seraphim volare ad cadaver putridum, assumere corpus humanum, sustinere crucis patibulum, effundere sanguinem proprium, ut resuscitaret mortuum filium. Unde se comparat pellicano, dicens in Psalmo: *Similis factus sum pellicano solitudinis (Ps 101,7)*.

12. --- Nota quod pellicanus est avis parva, quae solitudine delectatur. Haec dicitur colaphis parvulos suos occidere, eosque lugere, post triduum autem se vulnerare, ex cuius sanguinis effusione reviviscunt. Sic Christus, humilitate parvus, oratione solitarius, quia, ut dicunt evangelistae, pernoctabat in orationibus, et erat in desertis locis, filios suos Adam et Hevam cum sua posteritate quasi colaphis occidit, cum dixit: *Maledicta terra in opere tuo etc. (Gen 3, 17)*, et: *Pulvis es, et in pulverem reverteris (Gen 3, 19)*. Sed postea ipsos luxit, unde in Psalmo dicit: *Quasi lugens et contristatus sic humiliabar (Ps 34,14)*.

Unde, secundo Regum XVIII, dicitur quod David contristatus ascendit cenaculum et flevit, dicens: *Fili mi Absalom! Absalom fili mi! Quis mihi det, ut ego moriar pro te? (Cf. 2 Reg 18, 33)*. Sic Christus, contristatus de morte humani generis, ascendit cenaculum crucis ibique flevit, quia, ut dicit Apostolus ad Hebraeos, cum lacrimis et clamore valido obtulit (Cf. Hebr 5, 7); potuit enim dicere: *Fili mi Adam! Adam fili mi! Quis mihi det, ut ego moriar pro te? idest, ut mors mea tibi prosit?*

Qui post triduum, idest tria tempora: naturae, litterae et gratiae, seipsum vulneravit, idest vulnerari permisit, et sanguine suo filios mortuos respersit et reviviscere fecit. Et hoc totum processit ex nimio amore, quo nos dilexit. Unde Ioannes: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem, idest usque ad mortem, dilexit*

*eos (Io l.c.).*

***Filii ergo tui. Vere tui, quia tuo sanguine redempti; et utinam tui, non sui, idest suae carni dediti: Sui, inquit, eum non receperunt (Io 1, 11). Ad hoc ut sint tui, oportet quod sint sicut novellae olivarum.***

**13. --- Nota quod, oliva in radice est amara, in ligno fortis et quasi imputribilis, in folio viridis, in fructu suavis. Sic quilibet christianus debet esse amarus in contritione, constans in proposito, fidelis in verbo, suavis in misericordiae opere. Oleum enim misericordiae opus designat.**

**Et attende diligenter, quod praemittitur *novellae*, in quo notatur, quod filii Christi novitate spiritus debent ambulare, de die in diem spiritum suum - qui corrumpitur per desideria erroris - per confessionem renovare. *Renovamini, inquit, spiritu mentis vestrae (Cf. 2 Cor 4, 16).* Et Ieremias IV: *Haec dicit Dominus viris Iuda, et habitatoribus Ierusalem - idest laicis et clericis -: Novate vobis novale, et nolite serere super spinas (Ier 4, 3).* *Novale* ager est proscissus, et significat cor hominis, quod debet proscindi aratro contritionis, purgari a noxiis herbis sarculo confessionis, et hoc est novare novale. Super spinam serit, qui in mortali existens aliqua bona de genere bonorum agit. *Filii ergo tui sicut novellae olivarum.***

**14. --- Et, ubi eorum habitatio? ubi eorum debet esse conversatio? Certe, *in circuitu mensae tuae*. Nota quod triplex est mensa, et in qualibet refectio propria. Prima, doctrinae, de qua: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (Ps 22,5)*, idest haereticos. Secunda, poenitentiae, de qua Iob XXXVI: *Requies mensae tuae erit plena pinguedine (Iob 36, 16)*. Felix illa poenitentia, quae habet requiem conscientiae et**

plenitudinem pinguedinis, idest caritatis fraternae. Tertia, Eucharistiae, de qua Apostolus: Non potestis participare mensae Christi et mensae daemoniorum (Cf. 1 Cor 10, 21). In prima est refectio, scilicet verbum vitae; in secunda, gemitus et lacrimae; in tertia, caro et sanguis Christi.

Et nota quod non dicitur *in mensa*, sed *in circuitu mensae*. In circuitu istarum mensarum debent esse quilibet christiani, a simili alicuius, qui curiose circuit quod videre desiderat et penetrare non sufficit. Sic isti debent circuire mensam doctrinae, ut doceantur discernere inter malum et bonum, et inter bonum et bonum; mensam poenitentiae, ut doleant de omissis et commissis, confiteantur peccatum et eius minutatim circumstantias, laeso satisfaciant, ablata restituant, egenti de propriis tribuant; mensam Eucharistiae, ut firmiter credant, devote accedant, indignos tantae gratiae se reputent, caute sumant.

Rogemus Dei Filium, ut in hac triplici mensa ita refici, ut in mensa caelesti cum beatis Innocentibus mereamur satiari. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.